



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 7. Jonæ Aurelianensis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)



*Jonæ Aurelianensis obitus.*

Claudius Taurinensis, unicus in Occidente hujus Hæresis defensor, aliquo abhinc tempore nempe ante Imperatorem Ludovicum Pium fati functus erat. Ex ipsius Commentariis in Scripturam solus ille in Epistolam ad Galatas typis vulgatus est; plura vero alia Manuscripta in diversis Bibliothecis, nempe, in Leviticum, in Librum Ruth, in S. Matthæum, in Epistolam ad Romanos, in duas Epistolas ad Corinthios, & in Epistolam ad Ephesios, asservantur.

*Sup. Lib. XLVII. §. 20. Bibl. PP. Lugd. Lab. Script. p. 228 Mabill. I. Ann. p. 46. Dupin. 9. Siecl. Ch. I. p. 30. Jonas præf. in lib. de imag.*

Cum Ludovicus Imperator ejus librum contra Theodemirum Abbatem de imaginibus accepisset, & viris eruditissimis, qui in Regia versabantur, examinandum tradidisset, illud minime approbavit, misitque Jonæ Episcopo Aurelianensi Excerpta, ut ea refutaret. Scribere cœpit Jonas; jamque ad umbilicum deduxerat hoc opus, cum comperit, Claudium e vivis abiisse. Tunc credens unacum ipso errorem esse extinctum, opus non absolvit. Postea vero cum viri fide digni Jonam certiores reddidissent, superesse non nullos Claudii Discipulos, eumque præter errorem contra imagines etiam Arianismum ab inferis revocasse, & de illa doctrina libros

Aa 5 scri-



Sæculum IX. scripſiſſe in tabulario Domus Episcopalis  
A. C. 842. depositos, hac ex causa & hortatu pio-  
 rum virorum excitatus opus suum absol-  
 vit, illudque, Ludovico Imperatore in-  
 terea defuncto, Regi Carolo ejusdem fi-  
 lio, in cujus Ditione vivebat, inscripſit.

Huic operi in tres libros diviso infer-  
 ta sunt, quæ ex Apologia Claudii con-  
 tra Theodemirum extraxerat, & specu-  
 tim singula refutata. Jonas viam tenet  
 a Dungalio tritam & eadem ferme argu-  
 menta affert. Afferit, imagines solum-  
 modo ad rerum memoriam & doctrinam  
 nostram esse servandas, nullum vero is-  
 cultum exhibendum. At nihilominus  
 prohibet illos tanquam Idololatrias (\*) ha-  
 beri, qui coram imaginibus in honorem  
 Sanctorum preces peragunt eo quod Fi-  
 dem S. Trinitatis confiteantur. Jonas  
 obiit anno octingentesimo quadragesimo  
 tertio, postquam Sedem Aurelianensem  
 tenuisset annis viginti duobus. Succes-  
 sit defuncto Agius.

*Lib. I. p. 649*  
*Mabil. præf.*  
*tom. 5. art. n.*  
*36. Coint. an.*  
*843. n. 39.*

### §. VIII.

*Ebbo in Sedem Remensem restituitur.*

*Narr. Cler.*  
*Rem. to. 2.*  
*Duchêne p.*  
*341. Flod.*  
*lib. II. c. 20.*

Ludovico Pio fatiſſe functo Lotharius fi-  
 lius ejus primogenitus, Rex & Impe-  
 rator

(\*) Doctrina illis Protestantibus salubris &  
 necessaria, qui Catholicos Idololatriæ accusare  
 non erubescunt.